

AUXILIANTE DEO
DISSERTATIO HISTORICA
DE
PRÆSTANTIA
HISTORIÆ SACRÆ
PRÆ
PROFANA,

Cujus

PARTEM POSTERIOREM

Suffragio Amplissimi SENATUS Philos. in Reg. Academie
Aboënsi,

PRÆSIDE

MAG. JOHANN E
BILMARK,

HIST. & PHIL. PRACT. PROF. REG. & ORDIN.

PRO GRADU

Publico Examini modeſte ſubmittit

ANDREAS ÖBERG,

NERICIA-SVECUS.

Horis Ante Meridiem ſolitis

IN AUDITORIO MAJORI D. XXVI APRILIS ANNI MDCCCLXIX.

ABOÆ Typis Joh. CHRISTOPH. FRENCKELL.

Clarissimo Dno AUCTORI

Ingeniis hominum non stat tenor omnibus idem :
Hos trahit hic, alios abripit alter amor.
Felix, cui studium pietatis & ardua virtus,
Et TECUM curae sunt sacra jura Poli.
Ille ruram orbis poterit Solemque cadentem,
Sortis & impavida cernere mente vices.
Quam cælum terræ, quam præstent Sacra Profanis,
Dum TUA nos OBERG scripta polita docent ;
Nomina dum celebras nullum moritura per ævum,
Ipse facis Nomen morte carere TUUM.

GABRIEL TIDGREN.

E I D E M .

Historia excellit quantum Sacrata Profanæ,
Hoc Tua jam nosmet pagina docta docet.
TE labor iste decet, quem fuci nescia virtus
Ornat & ingenua cum probitate fides.
Gratulor ingenium, meritos tibi grator honores :
Quos, precor, excipiant digna bracea brevi.

I. m. que posuit
L. J. HALLMAN.

§. VIII.

Vidimus in parte priori hujus opellæ, quam augu-
sta sit Historiæ Sacrae origo, quanta certitudine
ac concinnitate exponat facta memorabilia, quæ
canitiem maxime prolixam sentiunt, in quibus ab Histo-
ria Profana vel nullam vel creperam vel seductricem
mutuamur lucem; quod opus eadem methodo continu-
are possemus, si propositi ratio talem nunc permitteret
disquisitionem. Enimvero sicut pictores imitari cogi-
mur, qui paucis lineis illam adumbrant faciem, cuius
venustatem debitiss coloribus se adsequi posse desperant;
ita & nos generalibus quibusdam obseruationibus Hi-
storiæ Sacrae præstantiam præ Profana vindicabimus. Et
quoniam Historia, illa vitæ magistra, pragmatica esse
debet, juvat etiam ostendisse Historiam Sacram in praxi
utramque facere paginam. Notum igitur est, imperia ci-
vilia, admiranda rerum humanarum anacyclofi, ex tene-
ris primum initii ad supremum potentia fastigium ad-
scendere, deinde vero ab hoc gloria culmine, quod a-
liquamdiu tenuerunt, interdum sensim deficere, inter-
dum vero præcipitanter ruere. Has quoque periodos
homines, prudentiæ Politicæ periti, ex accurata status a-
licujus notitia, ex phænomenis, quæ in imperii admini-
stratione conspicuntur, ex serie & consequentia nego-
tiorum civilium, ex relatione ad alias gentes, aliisque
causis e longinquo prævident, prævisasque præfigunt,
sive conservationem status, sive alios insignes motus
concernant, quo in scientiæ genere admodum excellu-
it POLYBIUM, qui fata reipublicæ Romanæ, tamquam
fatidicus Apollo, prædixerit, inter omnes constat. At
hæc cognitio ex Historiæ Profanae monumentis hausta,
quam quæsto manca est & incerta, si cum lampade,
quam accedit Historia S., comparetur. Quam lèpe e-

nim acutissimorum & firmissimorum ratiociniorum calculi, intervenientibus momentis adeo exiguis, ut eadem prævidere ne sagacissimum quidem ingenium humanum potuerit, turbati fuerint? Qvam multa intacta relinquere coacti sunt OEdippi etjam Politici, qui modum, quantitatem, tempus, durationem nec non instrumenta conversionis rerum publicarum cum ignarissimis ignorarunt. Contra ea autem Historia Sacra nobis sistit homines, omni fere rerum Civilium experientia destitutos, sed a Spiritu S. animatos, qui sine hæsitatione, sine argutis conjecturis, non in Musæo, sed in foro res, post longam annorum seriem immo seculorum decursum futuras, quoad omnes circumstantias tanta confidentia & adeo dextre exposuerunt, qvæ jam dudum contigissent & earundem testes oculati fuissent. Lectoribus nostris in memoriam revocabimus quædam exempla, quæ fidem dictis faciant. Sic constat, quod tempore Regis HOSEÆ, hujusque filii JOTHAMI, florentissimus fuerit imperii Judaici status. Alma enim pace & simul omnium rerum, qvæ non solum ad necessitatem sed & ad exquisitum luxum tam mensarum, quam aedificiorum & vestituum pertinent, copia gaudebat dilectus DEi populus, qvæ sibi munera iugi industria comparaverat, firmissimum denique erat imperium, tam benevolentia civium quam ingenti copiarum delectarum numero munitum; nihilo tamen minus Vates ille Divinus ESAIAS jam tum prædictus, quod populus hic ab isthoc felicitatis culmine propediem dejiceretur & rigidissimæ captivitatis squalorem persentisceret. Dictum, factum. Nemini enim nostrum ignotum, quantas calamitates sub Rege ACHASIO, qui Jothamo in imperium succesit, passi sint Judæi. Dicat autem forte qvispiam, ingravescentem luxum plerumque signum eis deficientis rei publicæ,

publicæ, adeoque non mirandum, si ESAIAS ex tali phænomeno occasum imperii Judaici prædicere potuerit. Enimvero opulentia hæc, quæ benedictioni Divinæ atque industria civium suos debuit natales, potentia instrumentum non impedimentum esse solet; & licet demus, quod homines fortunæ muneribus impotenter plerumque utantur, respublica tamen, hoc vitio adfecta, sensim fatiscere, non celeriter corruere solet, sicut hominibus, voluptatum illecebris deditis, contingit. Sed si hoc prædictionis Politicæ exemplum minus forte placeat, agedum aliud illustrius & admiratione dignius in medium proferemus. Paullo post vexationem Judæorum, sub Achasio factam, SENNACHERIB, Rex Assyriorum, obsidione cinxit Hierosolymam, quæ urbs jam ad incitas prorsus redacta videbatur, destituta copiis, alimentis & omni auxilio humano, imprimis postquam hic Rex, exercitum Æthiopicum, qvi adhuc civitati suppetias ferret, penitus dissipaverat; nihil tamen minus Esaias contra omnes probabilitatis regulas magna animi alacritate prædixit, quod Hierosolyma tunc non expugnaretur, quod Rex Assyriorum ipsam circumcirca non obsideret, quod ne ullum qvidem jaculum in hanc civitatem mitteret, sed quod totus ejusdem exercitus, citius quam sperare fas esset, sine vi humana consideret, & quod Rex ipse ignominiosam capesseret fugam. Quam qvæso isthæc præfigia ab omni exspectatione ac præsumtione humana fuerunt remota! Attamen prædictioni sua constitit veritas: una enim nocte per Angelum exterminatorem universus fere exercitus Assyriacus periit, & Rex ipse, domum reversus, in aede sacra a filiis suis fuit trucidatus. Ulterius cui qvæso mortaliū, sibi relictorum, tanta contigit sagacitas, ut certo prædicere potuerit destructionem imperii Jſraëlitici, vel

populum Judacium post excisam Hierosolymam in captivitatem Babylonicam fore abducendum, hujusque molestias per 70 admodum annos experturum. Attamen exempla horum vaticiniorum in Historia S. occurunt luculentissima. Quid? Quod Sancti Vates expresse nominaverint egregium illum Principem, CYRUM intelligo, qui populi Judaici vincula solveret, ducentis fere annis antequam in hanc ederetur lucem, atque res ejus gestas, olim futuras, tamquam jam dudum factas, succincte exposuerint. Ita enim ESAIAS, quem 180 annis ante natum Cyrum floruisse constat: *Hæc dicit DOMINUS uncto meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes, & dorsa Regum vertam & appriem coram eo januas & portæ non claudentur: Ego ante te ibo & glorioſos terræ humiliabo, portas æreas conteram, & vultus ferreos confringam. Et dabo tibi theſtauros abſconditos & arcana ſecretorum: ut ſeias, qvia Ego Dominus, qui voco nomen tuum, DEus Iſraël.* Ej. XLV: 1-3.

§. IX.

Causas mutationum imperiorum communiter dividunt Eruditi in *Supernaturales*, *Naturales* atque *Morales*; qvo circa tamen non est reticendum, qvod ad unum eundemque effectum singulae hæ causæ, dirigente Divina Providentia, concurrere interdum soleant, ita vero ut jam hæc, jam ista vel illa præ cæteris ſeſe luculentius conspiendam præbeat, nonnunquam autem idoneas mutationum causas ne ſagacissimum qvidem adsequatur ingenium humanum. In arduo hocce ſtadio, ſi antiquissima ſpectemus regna, Historia S. præ Profana ſuam exerit prætantiam, quum non tantum res gestas Principum nobis exponat, ſed abditissimos etiam cordis Heroum recessus quaſi explicet, ingentia illorum molimina, vanum

37

num fastum & nefariam ambitionem in apicum producat, veras mutationis imperiorum causas, nec non ortum & occasum horum nobis velut in tabula proponat. Ex ipsa enim constat, quod quorum mascula facinora Antiquitas impense devenerata est, ut TIGLAT-PILESER, SALMANASSAR, SENNACHERIB, NEBUCANESZAR, in manu omnipotentis DEi instrumenta tantum fuerint, quibus tam populum Israëliticum, propter secundam fortunam ferocientem, quam alias gentes, quæ iram ejus provocaverant, castigare voluit. *Ipse illos appellat*, ut loquitur ESAIAS, uno tantum oris balitu ab extremitatibus terræ, & protinus veniunt, ut jussa ipsius capescant, & mandata ejus exsequantur. Sponte qvali sua adsunt hæc generis humani flagella, ut gloriam suam augeant, ac regionum pomceria amplifcent; ignara, quod non suam, sed Summi terræ cœlique Monarchæ causam agant. Exempli loco nobis sit Nebucadnezar, Rex Babyloniorum. Hic ingentem contrahit exercitum, quem in duas dividit cohortes, qvarum una contendit versus Hierosolymam, altera versus Rabbath, Metropolin Ammonitarum. In itinere incertus hæret, a cuius urbis expugnatione initium belli faceret; igitur fortés dicit, qvas ita dirigit DEus, ut Hierosolyma eisdem designata fuerit, qvod ipsa destrueretur & cives in captivitatem abducerentur. Interjecto tempore idem Rex obsidione artissima cinxit Tyrum, ad quam expeditionem rationes Politicæ ipsum determinare videbantur, ne videlicet post se urbem adeo potentem relinqueret. Enimvero Historia Sacra nos docet, qvod obsidionem hujus urbis ipse DEus decrevisset, cuius stipendia in hoc bello merebatur Nebucadnezar, HEZECH. XXVI, XXVII, XXVIII, partim ut superbiæ cristas Regis ITHOBALIS, qui sibi ipsi omnia tribuit, deprimiceret, partim etiam, ut puni-

ret Tyrios, qvi divitiis circumfluentes, horrenda qvævis
vitia, qvæ turbidis ipsorum convenerunt adfectibus, si-
bi permiserunt, atque Hierosolymam, opulentia ac
potentia æmulam, opprimere studuerunt. *Idcirco,*
inquit Dominus, Ecce ego adducam ad Tyrum Ne-
bucadnezar. His confectis, ut DEus remuneraretur Re-
gem Babyloniorum ob collocatam operam in expugna-
da Tyro (ita enim DEus ipse loquitur), ipsi distribuit
fertiles Ægypti regiones, tamqvm seplasiaria castra, &
ingentes hujus divitias, ut belli præmia, Hez. XXIX: 18,
20, qvam cladem Ægypto sub imperio Regis AMASIS
contigisse novimus. Hactenus Nebucadnezar manum du-
centis DEi sequebatur, quare etiam omnia conamina
ipsi prospere cesserunt; verum post tantas res gestas sibi ipsi
omnia tribuere cœpit; quare in Cœlo constitutum fuit
tribunal, ad quod citatur Nebucadnezar, qvi jaçtare non
dubitaverat, *quod hæc magna esset Babylonia, quam ipse*
sibi sedem imperii constituerat, & in sententia vigilum, si-
cum scribit DANIEL IV. 14. decretum fuit, ut rebellis
hic DEi civis ob insolentiam puniretur. Vix etiam ipse
falsofa emisisset verba, quam audita sit vox: *Dictum*
fit tibi, Rex Nebucadnezar, quod auferetur regnum tuum
& alii dabitur, ut agnoscas supremam DEi potentiam,
qui dat & aufert regna. Quod mox factum: nam usu
rationis privatus & horrendam sævitiam in suos exer-
cens Nebucadnezar, de gradu imperii dejectus, in sylvis
cum ferocibus brutis miserrimam transigere vitam coactus
fuit. Hoc Vigilum Tribunal semper subsistens, idem tulit
judicium de celebribus Gentilium Heroibus, dum de-
pendentia gyrum egredi voluerunt, & se ipsos idola
sua constituerunt. Enimvero in harum causarum inve-
stigatione oculus humanus plerumque cœcutit, dum non
adest sanctus OEdipus, qvi talia edisserat. Et si qvasdam

tationis causas subinde detegimus, plerumque tamen, non prælucente Historia S., in cortice probabilitatis subfistimus, nec in nucleus veritatis penetramus.

§. X.

Si totum Philosophiæ campum percurramus, vix locum inveniemus, in quo sinceriori animi voluptate ostiari possumus, quam in consideratione admirandæ Providentiarum Divinarum. Quamvis autem nulla fere sit Historiarum pars, facta fataque hominum exponens, in qua Providentiarum Divinarum vestigia non animadvertisimus, attamen Historia Sacra, utpote quæ suam lucem a lumine Patre mutuat, providam curam, quam Deus suorum liberorum agit, exerto quasi digito monstrat. Quantumvis enim cœci fuerunt Gentiles, agnoverunt tamen, qui ceteris perspicacioris fuerunt ingenii, quod res majoris momenti sine Numine Divum non evenirent. At Historia S. ostendit, quod Deus præsideat operibus nostris, & eadem dirigat ad beneplacitum sapientiae suæ: quod ipse excitet populum antea ignobilem, & felicibus passibus ad honoris culmen ipsum deducat: quod Dominus hic exercitium copiis Principum collectis, modo alacritatem & vigorem, quorum se vix capaces crediderunt, Largiatur, modo autem ferocissimis cordibus manum suam subtrahat; quo facto velut flaccida harent, consilii experitia & nihil non metuentia: quod ipse propositum finem adsequatur mediis, quæ ipsi penitus adversari videntur, sicut Historia Patriarchæ JOSEPHI adfamat docet; interdum autem media videatur esse tantum effectus casuum fortuitorum, quamvis eadem jam e longinquo & paraverit & disponuerit infinita DEI Sapientia, ceu Historia DAVIDIS inde a vita ejus Pastorititia usque dum pedum in sceptrum commutaret, abunde comprobatur, ut sexcenta alia reticeamus exempla.

§. XI.

Ulterius licet quævis Historia veri nominis ad private vitæ institutionem conducat, quippe qua exempla virtutum ad imitandum nec non vitiorum imagines ad deterrendum proponat, inconstantiamque rerum humanaum ob oculos statuat; præ ceteris tamen Historia S. apitissima vitæ innocentis incitamenta nobis dilucide monstrat. Ad hæc enim referimus sufficientem attributorum Divinorum cognitionem: Scientiam eorum, quæ DEus ab illis exigit, quos suis dignatur beneficiis: quanta hominis sit præstantia sive animam sive corpus si ectemus, quomodo denique tranquilla paretur conscientia, quæ temporalis felicitatis hanc exiguum partem absolvit, & promulgatam aeternæ nobis propinat. Non equidem ignoramus, quod per gani Historici scriptis suis varia subinde interseruerint, quæ ad cultum Divinum pertinent; attamen quum ipsi sibi persuaderent, quod summa beatitudo in eo consisteret, si quisque, quocunque vellet, obtinere ac facere posset, Diis quoque suis multa flagitia, quæ non sine gravi censura a cordatis tolerarentur hominibus, audacter tribuerunt; quare etiam Theognosia eorum tot scatet nævis, ut vitiis etiam fœdissimis non raro obstetricetur. Contra ea autem Historia S. quam clara perfectionum Divinarum specula nobis contemplanda sicut? Monstrat enim, quod DEus unus tantum sit: declarat Ejus omnipotentiam in creatione, conservatione ac gubernatione hujus universi maxime conspicuum: Ejus bonitatem, quæ ad ingrata etiam terræ pondera fæse extendit: Ejus æquanimitatem in irrogandis poenæ, sed simul Ejus justitiam, qua ingravescente, nihil illius rigorem imminuere potest. Sunt tamen poenæ Divinæ delictis hominum proportionales. Universa terra peccatis hominum antidiluvianorum fuit infecta; tota

tota quoque tellus diluvii aquis fuit submersa. Civitates infelices, Sodoma &c. &c. impuro flagrarunt libidinis æstu, quare etiam, quum resipiscere nollent, incendio sunt consumtæ. Adulterium & homicidium Regis DAVIDIS, incestu & proprietorum liberorum cæde fuerunt vin licata: ex quibus constat veritas canonis: *quoniam quis peccat, eodem & ipse punitur.* Hæc quoque Historia augustam hominis originem, præsertim quoad animam ostendit, & quam a dignitate ejus remotum sit, se vitiis polluere. Præterea ecquod datur virtutæ genus, in quo homines ex Historia S. colligere non posunt, tum quid officii rationes postulent, tum quomodo ingruentibus adversitatum nebulis ac persecutionum procellis se in demandato munere gerere debeant. Qvanta denique sit conscientiæ expergefactæ vis, vel suo comprobant exemplo fratres Patriarchæ JOSEPHI, qui in angustiis constituti, sibi omnia imputarunt, ingemiscentes: *Merito hæc omnia patimur, quoniam afflictionibus fratris nostri nihil movebamur, Gen. XLII. 21.*

§. XII.

In eo etiam elucet Historiæ Sacrae præstantia præ Profana, quod ex illa discamus, justum rebus humanis statuere pretium, nec magnificis decipiāmur actionum præstigiis. Gentiles enim, quum animadverterent, quempiam maiores res gesisse, quam quas adsequi communis mortalium conditio posset, mox in tantam admirationem vertebantur, ut sibi aliisque persuaderent, Divini quid ingentibus hisce ausibus subesse. Hinc in scriptis veterum creberrima fit mentio apotheoseon, quo superstitione ritu sape illos coluerunt, qui si cuncta probe pensitemus, monstra potius generis humani, quam ejusdem deliciæ fuerunt. Tolerari hi errores quodammodo

possunt in Gentilibus, qui ultra corruptæ rationis sphæram suis paralogismis non sunt progressi, sed quid de Christianis est dicendum, qui exempla virtutum aliis proposituri, volupe sibi ducunt, paganos potius in scenam producere, quam sanctos DEi viros imitandos si stere. Quare iterum iterumque increpant: Quam Religiosus & sua sorte contentus est Turca! Quam humani Chinenses! Quam justi Caraibes, quamvis hostes suos comedant! Quam acutus Bramines! Quam devoti Drewires & Jauges! Quanta sui abnegatio apud Soufes, sectam quandam in Persia! Sed hi fere sunt, qui tenebrionum more crepera magis, quam plena delectantur luce. Quod si haec acroamata eum in finem proferrent, ut cum Hugone Grotio, Gentilium Philosophorum sententias saepe adferente, dicere possent: *Non ita se iis uti, ut illas sequi satis esse Christianis arbitrarentur, sed ut erubescant Christiani, si minus praestent;* excusationem forte mererentur, nisi ex ipsorum moliminibus abunde constaret, quod cum dispendio Christianismi facinora gentilium coloribus undique conquisitis præter fas & meritum incrustentur; quod certe non factum, si isthoc Ardelionum genus justum rebus pretium statuisset. Contra ea autem Historia S. pluribus in locis nos tam sententiis quam exemplis docet, quod ea, quæ excelsa & magnifica judicent homines, in conspectu DEi, abditissimas quoque cordis plicas scrutantis, vilia admundum sint, & quod probitas, clementia & beneficentia, aliaeque his similes virtutes sint ille, quibus DEus præcipue delectetur. Bene igitur Rollinus in præfatione Historiæ antiquæ: *Le Saint-Esprit représente ces conquérans si vantés dans l' Antiquité sous les symboles de Monstres nés de l' agitation de mer, du trouble, de la confusion, du choc des vagues, & sous l' image des Bêtes cruelles & féroces*

féroces, qui répandent par tout la terreur & la désolation, & qui ne se nourrissent, que de meurtres & de carnage ; Ours, Lions, Tigres, Leopards. Quel tableau ! Quelle peinture ! Et nonnullis interjectis : L'*Histoire* nous fait souvenir, que depuis le commencement du Monde Dieu accorde à ses ennemis toutes ces qualités brillantes que le siècle estime & dont il fait beaucoup de bruit ; au lieu qu'il les refuse souvent à ses plus fidèles serviteurs, à qui il donne des choses d'une autre importance & d'un autre prix, mais que le monde ne connaît & ne desire point. Præterea dum Sacrae Pandæcta gravioriter pronuntiant, quod quicquid ex fide non proficietur, peccatum sit; satis appareat, quam lucida illa atmosphæra, quæ stupendas quorumdam Heroum res gestas cingit, evanescat, dum per revelationis telescopium hæ conspiciuntur, & quæ immensæ videbantur vix puncti vicem sustineant; quare etiam B. AUGUSTINUS bona gentilium opera ad splendia tantum peccata retulit.

§. XIII.

Hactenus qualemcunque comparationem inter Historiam Sacram & Profanam instituimus, quod si autem longius progrediamur, & argumenta majoris momenti excutiamus; satis deprehendimus, quod ubi hæc eclipsin patitur, illa pleno coruscat jubare. Quum igitur DEus sit benignissimus, proindeque gratia ejus, qua homines ad salutem vocat, sese ad omnes extendat, inter veræ Religionis criteria merito referimus Ejus antiquitatem & perfectionem, adeo ut defectum, quem sola Religione Naturali gaudentes experientur, suppleat. Enimvero si gentilium scripta evolvamus, obiter tantum ea pertrahant, quæ ad Theognosiam pertinent, & commenta quævis insipidis quibuslibet aliis augent commentis,

nec non de argumentis gravissimis plerumque adeo dubitanter differunt, ut sibi ipsis parum omnino constent. At quam plena majestatis luce in arduo hocce campo fere conspicendam præbet Historia S., quæ homines ad intimam cum DEo cognitionem deducit. Hæc nos instruit de felici illo statu, in quo conditi fuerunt Protoplasti, cujus fama etiam ad Gentiles pervenit, qvaræ saeculum aureum prolixè celebrarunt, sed cujus præstantiam, quæ ipsorum fuit animi levitas, non tam in perfectionibus animæ, quam in fruitione bonorum temporaliū constituerunt. Historia vero S. sola nos docet, quomodo peccatum & mala quævis in hunc mundum pervenerint, & quod ipsa jure meritoque imputentur hominibus, etiam illis, qui ne causam quidem eorum indagare potuerunt. Monstrat insuper Historia Sacra seriem patefactionum Divinarum, atque admirandam veræ Religionis ad omnes gentes propagationem, ut *αναπλόγει* coram DEo, justissimo judice, esent. Imprimis autem docet, quomodo verbum DEi revelatum, illa Pacis æternæ oliva, æstuantibus cataclysmi universalis fluctibus non fuerit submersum: quomodo idem deinceps conservatum fuerit a populo, quem in peculium elegerat DEus, cujus præcipua in eo versabatur cura, ut illud integrum ad ferros transmitteret nepotes. Hinc progrediendo, ultius monstrat Historia Sacra, quam varia fuerit Ecclesiæ facies, modo ferme succumbentis, modo inter aduersitatum moles, instar pressæ Palmæ, emergentis, modo emigrantis: quomodo ipsa collecta, defensa atque inter gravissimas imperiorum ruinas conservata: quam vana denique fuerint ferocissimorum Principum molimina, qui manipulum dilectorum DEo hominum exscindere summopere studuerunt. Tandem Historia S. nos plenarie convincit de argumentis gravissimis, quorum indolem vix suboderati

odorati sunt acutissimi Gentilium Philosophi, ex. gr. *de Angelorum*, existentia horumque officiis in ministeriis & servandis hominibus: *de immortalitate animæ*, de extremo judicio, de vita post hanc æternitatem alia, in qua summus rerum Arbitrus unicuique mortalium pro merito retribuet, aliisque ejusdem tenoris. Quod circa non erit reticendum, quod *de VOLTAIRE* aliique, quibus Revelatio fides in oculis est, graviter taxent Historiam Sacram, a MOSE consignatam, quod cum in ipsa saepius fiat mentio bonorum temporalium, ad quorum frumentationem in Palæstina pervenirent, DEUS tamen nullibi in eisdem spe melioris post hanc futuræ vitæ populum suum ad sectandam virtutem excitet. Enimvero quum exemplum Patriarchæ ENOCHI, qui vivus in cælos fuit sublatus, nemini Israëlitarum esset ignotum, quum etiam cultus Leviticus eo fuerit totus directus, ut populo huic in memoriam reuocaret, venturum alioquando mundi Salvatorem, peccata hominum expiatutum, atque ita introitum in Regnum cœlorum illis paraturum, satis apparet, quod Israëlitæ convicti fuerint de futura piorum beatitudine, adeoque nouis heic non opus fuerit præceptis de dogmate evidenter cognito. Si plura desideres, per volvas Novi fœderis pandectas, quæ hanc doctrinam extra omnem dubitationis aleam ponunt.

§. XIV.

Denique sicut Christus est quasi nucleus Revelationis, nobis Divinitus concessæ; ita quoque ex Historia Sacra discimus, quod DEUS in gubernando genere humano finem longe nobiliorem, quam quem humana acies sibi relicta adsequitur, sibi propositum habuerit, & quomodo facta atque momenta jam e longinquo ita disposuerit, ut quum plenitudo illa temporis, quo in forma humana appareret Messias, venisset, singuli ex collatione eventuum cum illustribus prædictionibus, a Prophetis ante multa sæcula factis,

atis, colligere possent, hunc verum esse mundi Salvatorem, nec alium præterea esse exspectandum. Quo circa unicam tantum observationem notatu dignissimam in medium atulisse juvabit. Quamvis Prophetæ ab ætate Saluatoris nostri longissime fuerint remoti, quamvis Messiam per imagines solummodo cognovissent, & proinde fidei tantum oculis ipsum intuerentur, nihilo tamen minus prædictiones illorum sunt adeo evidentes & quoad præcipua momenta adeo succinctæ, ut fides nostra in re grauissimi momenti alias vacillatura, hinc valde confirmetur. Determinant enim locum, quo nasceretur, virginem immaculatam, quæ ipsum pareret, quæ tum præcipe imperii Judaici facies, tum etiam speciales circumstantias mortis ac resurrectionis Christi, & quidem eadem ferme exactitudine, qua Evangelistæ, qui actionum Christi testes oculati fuerunt, Historiam Salvatoris nostri exposuerunt. Ex Historia etiam Sacra novi fœderis discimus, quid cultus Leviticus portenderit tum quicquid ad salutem æternam obtinendam scitu sit necessarium ex illa haurimus, tum etiam quod Christus potentiam Diaboli, hostis generi humano infestissimi, confrerit.

Quid? quod a tempore nativitatis Christi apud Judæos nulli exstiterint Prophetæ; nulla a Dœo consolationes factæ, nulla dona extraordinaria, nulla tribuum cognitione. Nempe quia Prophetæ, quæ Messiam præcipue spectabant, impleta erant, & quia natus ille, cuius causa Genealogias certas esse oportebat.

Eniinvero quum Historiæ Sacre præstantiam ulterius perseguiri prohibeat tum festinatio tum facultatum nostrarum ratio, in Tui consideratione O! Misericordissime SALVATOR, qui omnium actionum nostrarum **A K Y O**, Principium & finis es, sublissimus. Tibi Soli vivere, Tibi mori volumnus. Humana enim haec, quæ tantopere jactat Historia Profana, quid sunt nisi jactationes & fluctus, in quibus nihil firmum est, nisi ad anchoram verae Pietatis alligetur, quæ magis corde, quam ore factisque magis exerceri debet quam verbis; donec, emenior vita hujus curriculo, ad illam beatitudinem perveniamus, in qua sine ullis temporum spatiis Cœlestem Tibi Pœana canamus, & æternum celebremus

Nominis Tui

G L O R I A M.